



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hviſs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXV. An Crvx ſit veneranda?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Isa. 11. *Sepulcrum meum erit gloriosum*: 2. Tim. 3. *Ab infantia Sacras Literas nosti*. Sacra, quia signa rerum sunt sacrarum. Ita iustus iubetur, *ut Phil. 2. in Nomine IESV omne genu fluctatur*. Quid est igitur cur Sacre imagines minus honorentur; cum æquè rerum sint Sacrarum signa?

3. Ideo, saluo Decalogo, *Exod. 25*. Cherubini supra Propitiatorium honorierant: Et serpens æneus, *Num. 21*. Quæ rectè huc interpretantur S. Hieronymus *ep. ad Marcellam*, & S. Aug. *l. 3. Trin. c. 10*. Itaque *Pf. 95. Adorate scabillum pedum eius*: hac enim humilitate Ipse Deus adoratur: ita quoque in iconibus ad ipsius ac Sanctorum honorem institutis.

QVÆSTIO XXV.

An CRUX sit veneranda?

L. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHEROCALVINISTÆ nec cruce ferunt Christi, neque cultum eiusdem. Patet in mea *Genealog. p. 1. q. 25.* & in *Luthero-caluin. par. 1. q. 82.*

CHRISTVS. Tria blasphemant inimici Crucis meæ: Lignum, Signūque Crucis Permanens, ac Transiens, & debitum illis honorem sacrum abnegant: sed suo pte, sectatorumque malo.

I. LIGNVM S. CRVCIS ipsum venerandum est optimo cuique:

1. Quia illud ego elegi, dicens, *Ioa. 10. In hoc ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me*. Quippe, *Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit*. *Act. 3. Deus, qui prænunciavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit SIC.*

2. Quia Crux ea fuit Ara meà; & Ego Sacrificium ac Victimam, *Colof. 1. Hebr. 7. Pacificans per Sanguinem Crucis omnia*. In cuius typum *Iacob, Gen. 20.* crexit lapidem, vixit, & vocavit Dominum Dei.

3. Quia Crux ea fuit Scala mea ad regnum. Vnde dixi *Ioan. 12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras: & Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, Ideo *Phil. Humiliaui memetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

4. Quia Crux ea fuit Redemptionis innocuum instrumentum, & lectulus quietis meæ, ceu Figuræ prænotarunt, quas collegit *Damasc. l. 4. de fide. c. 12.* Vt *Lignum vitæ, Gen. 2.* Arca lignea, domum *Noe seruans, Gen. 8.* *Virga Moyses, Exo. 14.* mare aperiens. *Lignum, Exod. 15.* dulcorans aquas. *Serpens æneus, Gen. 18.* exlatus. *Ioa. 3. Sicut exaltavit Moyses. &c.* Vnde *Gal. 6. Vos igitur gloriari oportet in cruce Domini nostri IESV Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio.*

5. Quia Cruce diabolus vici, ac triumphauit. Quò rectius de me, *Gal. 6. Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus & potestates traduxit palam confidenter, triumphans illos in semetipso: vel ἐν δυνάμει τοῦ σταυροῦ*, iuxta *Orig. hom. 8. in Iosuen & Theoph.*

II. SIGNVM PERMANENS S. Crucis quodcunque venerabile est: ut de quo dixi, *Mat. 24. Tunc apparebit Signum Filij hominis in celo*. Id quod *Calvinus, Musculus, Matloratus*, negant de cruce accipiendum: At contra *S. Patres Orig. Chryf. Hier. Hilar. &c.* Cum itaque sit

Signum Meum, ac Vexillum Christi: Cùm locari cælo dignum; Cùm, vt ait *Aug serm. 130.* Angelorum manibus sit præferendum Iudici: Cùm sole clarius relucebit, vt sol & stelle sint inde obscurandæ, *Mat. 24.* planè omni honore dignandum S. Crucis signum est.

III. SIGNVM TRANSIENS S. crucis religiosa cum & Reuerentia & Frequentia vsurpandum est. Sic ostēdi Ioanni meo, *Apoc. 14. Habentes Nomen meum, & Nomen Patris mei in frontibus suis.* Vnde clamabant ij, *Apoc. 7. Nolite nocere terra & mari, neque arboribus; quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Sicut *Ezech. 9.* signum Tau iubetur in frontibus gementium describi, Neque aliud sanguis agni; *Exo. 12.* in postibus domorum denotabat, quam crucis signum in frontibus fidelium. Plura in meo *Luthero-calv. p. 1. q. 82.*

QVÆSTIO XXVI.

*An DEVS, & Sancti rectè colantur
TEMPLIS?*

II. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERO-CALVINISTÆ præter Concionum & Sacramentorum Ministerium, vix aliud quicquam tribuunt templis: at in qua debacchantur, sunt plura.

1. Quæcunque loca seruire diuinis.
2. Non sacrificijs templa debent.
3. Non precibus.
4. Non Sanctis.

CHRISTVS. I. *Templa!* quin & *Situm* horum ad Orientem amo, voloque.

1. Huc enim verti orantes Me versus iubeo; iuxta *Nomen meum*, *Zach. 6.*

Vir Oriens Nomen eius. Ideo namq; *Ioan. 8. Ego sum LUX mundi; que illuminat omnem hominem*, *Ioan. 1.* à meo *Patre luminum* vnde ad orantes descendit omne bonum.

2. Ideo sic orari docui, *Matt. 5. Pater noster qui es in calis.* Qui ab Oriente moueri incipiunt, plaga omnium nobilissima; Vbi ego sedeo à dextris Patris. Vnde à Me, ceu Sole iustitiæ, veros adoratores in spiritu & veritate oportet illustrari.

3. Templum mihi locus voluptatis est & Paradisus. Atqui verò, *Gen. 2. Plantauerat Deus Paradisum à principio ad Orientalem plagam, παρὶς ἀνατολῆς:* anterior enim pars orbis est Oriens. *Gen. 4.* Huc versi comprecantur, qui sese peregrinos & exules ad patriam adspirare profitentur: ait *Greg. Nyssenus.*

4. Hic ego votis iustorum requirendus sum, quò ascendi. Atqui, *Ps. 67. Ascendit in calum calorum ad Orientem.* Atque indidem reueniam ad Iudicium: *Matt. 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit Aduentus Filij hominis.*

5. Quòd si cordi mihi sit templorum situs; quanto magis ipsa templa volo? Ideo dixi, *Mat. 21. Domus mea domus orationis vocabitur.*

Quocirca *Ioan. 2. Auferte ista hinc profana hæreticorum dogmata omnia, & nolite facere Domum Patris mei domum negotiationis.*

II. VERBI DIVINI & Sacramentorum administrationi rectè instituuntur Ecclesiæ.

1. Exēplo mei, etsi varijs in locis prædicare solitus; præsertim tamen, *Mat. 26. quotidie apud vos sedebam docens in Templo.*